



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Assertio Omnium Articvlorvm M. Lvtheri, Per Bvllam Leonis X. Novissimam Damnatorvm**

**Luther, Martin**

**[Basel], 1521**

**VD16 L 3876**

Decimvs Octavvs. Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium & remissiones bonorum operum. Et sunt de numero eorum quae licent, & non de numero eorum quae expediunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33308**

MAR. LVTHERI ASSERTIO:

cebit, etiā deum ex ipso Satana, quod & faciunt atque fecerunt impij isti indulgenarij adultores.

DECIMVS OCTAVVS.

Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium & remissiones bonorum operum. Et sunt de numero eorum quæ licent, & non de numero eorum quæ expediunt.

Erravi fateor, ubi dixi, Indulgentias esse piæ fraudes fidelium, sic enim a multis prouerbio dici audieram, quos tunc imitabar. Reuoco ergo & dico, Indulgentias esse impijssimas sceleratissimorum pontificum fraudes & imposturas, quibus & res & animas fidelium fallunt & perdunt. Sed & hanc propositionem cum præcedente & quatuor sequentibus reuocaui libro de captiuitate Babylonica.

Probaui enim superius satisfactionem aut nullam requiri a deo, aut prorsus irremissibilem esse ab homine quæ requisierit, ideo indulgentias istas prorsus nihil esse. Sic enim Adæ & Heuæ omnibusq; nobis imposuit laborem & mortem, sic occidit & percussit multos in scriptura sancta, pro peccatis: Sed & psalmo. lxxxviiij. dicit: Si peccauerint, uisitabo in uirga iniquitates eorum. Ideo merum figmentum est, quicquid de indulgentiis dictum & creditum est, non enim Papa potest hoc uerbum dei tollere. Damnant ergo psalmum istum, tum credam indulgentias aliquid esse. Sed & Heb. xij. docet Paulus, nos a deo patre disciplinari, & j. Corinth. xj. iudicari & corripi a domino, ne damnemur. At sanctissimus ille uicarius dei in terris docet se posse tollere & remittere quæ deus imponit, tam pulchre contemnit cum principe & rege suo, sicut Belial cum Christo.

Si tamen

Indulgentiæ  
quid sint.

1. diu probatū est

a quo dicitur

Et pro subditū dicit  
per dicitū dicitur  
in illis



ARTICVLORVM DAMNATORVM

*notu* *Satisfactio*  
*nes. pnt*

Si tamen aliquid essent indulgentiæ, quid aliud quam remissiones bonorum operum essent? Nonne remittunt satisfactiones? Quid autem sunt satisfactiones, nisi bona opera, bonæque passionis: ut etiam hac ratione pestilentio res fuerint indulgentiæ, si aliquid essent, quam nunc dum nihil sunt. Quæ fraus sceleratior, quam hominibus bona opera remittere, & licentiam dare pigritadi sub specie pietatis, ad pecunias tantum exogendas?

*simul omni*  
*leges homi*

Rouoco etiam quod dixi eas esse de numero eorum quæ licent: Hoc enim uerum esset, si aliquid essent, quia quod non est præceptum, nec consultum, prorsus nec expedit nec necessarium est, sed mere licitum & arbitrarium, at tales essent indulgentiæ. Nunc autem dico, eas esse de numero eorum, quæ fallunt & perdunt, cum sint nihil nisi fraudes sceleratorum sanguisugarum populi dei.

DECIMVS NONVS.

Indulgentiæ his qui ueraciter eas cõsequuntur non ualēt ad remissionem poenæ pro peccatis actua libus debitiæ apud diuinam iusticiam.

VICESIMVS.

Seducuntur credētes indulgentias esse salutare & ad fructum spiritus utiles.

VICESIMVS PRIMVS.

Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus & proprie conceduntur duris solummodo & impacientibus.

VICESIMVS SECVNDVS.

*Indulgentiæ qd*  
*profnt*

Sex generibus hominum, indulgentiæ nec sunt necessariæ nec utiles, uidelicet mortuis seu morituro